



Per.
Lat
020

LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Premium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22., tízszer egy évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

Ladislaus Négyesy †

1861—1933.

Tristissimus nuntius allatus est nobis: Ladislaus Négyesy, professorem aestheticae artis in universitate scientiarum Petri Pasmani a. d. VII. Idus Ianuarias, annum aetas septuagesimum secundum agentem vita decessisse. Quis est nostrum, qui nomen eius saepe non audierit, quis, qui mortem eius sincero corde non lugeat?

L. Négyesy post impetratam¹ docendi² facultatem³ statim adiit magisterium³ in archigymnasio Cisterciensium Agriensi⁴ et non solum in negotiis scholasticis obeundis⁵ excelluit, sed iam tum adgressus est⁶ ad munus⁷ scribendi,⁷ cum naturam versus Hungarici indagavit⁸ et leges eiusdem ad certam rationem⁹ revocavit. Postea etiam historiam artis¹⁰ metricae¹⁰ in carminibus¹⁰ Hungaricis¹⁰ usitatae¹⁰ exaravit, quod opus a societate Kisfaludyana praemio Christinae Lukács donatum est. Deinde in oppido Szolnok, mox Budapestini in archigymnasio repetentium¹¹ magistrorum¹¹ officio docendi fungebatur. Ex hoc tempore continuo variis litterarum Hungaricarum quaestionibus investigandis operam dedit. Quot dissertationes huius generis publici¹² iuris¹² fecerit,¹² haud facile enumeres. Cuius laboris fructus habendi sunt etiam libri eius in usum disci-

polorum compositi. Nam seu grammaticam, seu stileticam seu rhetorica poëticamque artem inspexeris, ubique invenies vestigia periti doctoris: opuscula pretiosissima, quorum subsidiis¹³ multarum generationum mentes ad rationem¹⁴ recte ac eleganter loquendi scribendique conformatae sint.¹⁵ Plurimum autem de aestimandis¹⁶ operibus scriptorum et poëtarum meruit.¹⁷ Maximi pretii habentur libelli, quos de Ioanne Arany et de Francisco Kazinczy novissime¹⁸ composuerat. Quamvis multifarie¹⁹ occupatus fuerit litterarum²⁰ studiis,²⁰ tamen aliis quoque provinciis²¹ vacabat.²² Praeerat enim decem annos societati magistrorum medischolarium²³ administranda, item plures ephemerides²⁴ moderandas²⁵ curavit,²⁵ plura opera auctorum Hungaricorum apparatu²⁶ critico²⁶ ornata²⁷ edidit. Neque tantae eruditioni tantaeque industriae praemia deesse²⁸ poterant. Ita factum est, ut iam multis annis ante ad

¹ elnyer ² tanári képesítés ³ tanszék ⁴ egri
⁵ teljesít ⁶ megkezd ⁷ irodalmi működés ⁸ kutat
⁹ elv ¹⁰ mértékes magyar verselés ¹¹ gyakorló tanárok ¹² közzétesz ¹³ segítség ¹⁴ mód ¹⁵ kíművel
¹⁶ bírál ¹⁷ érdemet szerez ¹⁸ utoljára ¹⁹ sokfelé ²⁰ irodalmi tanulmányok ²¹ feladat ²² ráér ²³ kö-zépiskola ²⁴ folyóirat ²⁵ szerkeszt ²⁶ kritikai segéd-eszközök ²⁷ felszerel ²⁸ elmarad.



cathedram litterarum Hungaricarum in universitate capessendam vocatus sit. Idem societati Kisfaludyanae, deinde Academiae St. Stephani sodalis²⁹ ordinarius, demum Academiae litterarum Hungaricae socius³⁰ ad honores³⁰ ascriptus est.³¹ Virtutibus etiam animos regni³² principum³² in se convertit, a quibus ordine Francisci Iosephi, stella Corvini et cruce pro meritis donata auctus est.³³ Vir bonus, praeceptor³⁴ magnus, litterator³⁵ eximius fuit. Dignus est, cuius memoriam³⁶ semper grato prosequamur³⁶ animo.

Aladárus Friml.

²⁹ tagtárs ³⁰ tiszteleti tag ³¹ választ ³² államfő
³³ kitüntet ³⁴ tanítómester ³⁵ író ³⁶ emlékét megörzi.

Peregrinationes et rusticationes Austriacae. (3.)

Scripsit Carolus Ács.

Solus ergo relictus tandem ad cataractas ascendi, cuius stupendam pulchritudinem admiratus in angustiis, per quas via satis aqua ac plana ferret, porro ire pergebam perstrictus¹ et delenitus¹ horrore² rapidissimi torrentis³ per profundam angustiarum

voraginem fluctus volventis. Torrentis autem alveus, ubi rupes in angustum coartantur, est tam vastae altitudinis, abietum ut excelsissimarum a lateribus rupium enatarum⁴ cacumina manu stringas,⁵ ac si in profundum despexeris, verendum est, ne vertigine⁶ corripiaris. Hic saevit, aestuat, exsultat tantaque vehementia rotatur et obluctatur⁷ saxis obstantibus, spumeus⁸ ut undarum⁸ cumulus⁸ saxorum obice⁹ repulsus sublimē¹⁰ dissiliat. Iam vero ad locum venienti, ubi convallis dilatatur, subito in valle extrema, quae in meridiem vergit, iuga montium altissimorum nivibus et glacie obducta in conspectum¹¹ cadunt.¹¹ Hac repentina specie captus ac proprius spectandi cupiditate adductus protinus¹² vado nec prius subsisto, quam prope montes venire, ut in proximo magnifica Alpium sublimitate perfruerer.

Atque in reditu mihi quaedam mirifica cernendi obtigerunt opportunitates. Ex de-ruptis enim montibus passim aquae desiliunt, miras et varias formas et figurās saltu efficiunt. Sunt autem, quae serpentis ar-

¹ lenyűgözve ² borzalmasság ³ hegyi patak ⁴ ki-nött ⁵ síról ⁶ szédulet ⁷ küzködik ⁸ tajtézkö víztömeg ⁹ torlasz ¹⁰ magasan ¹¹ felöltlik ¹² előre.



Cur canis feli irascatur?

Aliquando canes magnum convivium instruxerant. Canis Bodri erat coquus.¹ Postquam ossa coquit, vocat canem Sajó, ut ossa gustet. Cum Sajó ossa atque etiam globulos² gustasset, repente exclamavit:

— Attate,³ frater! hic cibus non est bonus, quia nullus flos lactis⁴ inest.

Canis quaerit florem lactis, sed nihil in domo reperit.

— Ite aliquis confestim⁵ in tabernam!⁶

Sed quis eat? Canis abire non potest, ne

culina⁷ sine custode maneret. Tum equum conspexit. Accurrit unus e canibus.

— Curre cito — inquit, — frater eque, in tabernam et affer nobis florem lactis; sine eo coquere non possumus.

— Non licet mihi, frater canis, currere, herus meus mox aderit; arare me oportet.

Canis longius currens vaccam⁸ conspicit.

— Curre cito, soror vacca, in tabernam et affer nobis florem lactis; sine eo coquere non possumus.

— Currere mihi non licet, frater canis; domi iam exspector, ut mulgear.⁹

Canis longius currens felem¹⁰ in campo ambulantem conspicit.

— Quo vadis, soror feles?

— Eo mures¹¹ venatum.

¹ szakács ² gombóc ³ ejnye ⁴ tejfel ⁵ tüstént
⁶ bolt ⁷ konyha ⁸ tehén ⁹ megfej ¹⁰ mačka
¹¹ egér.

genteo colore splendentis instar¹³ delabi videantur. Vidi aquas velaminis¹⁴ pellucidi¹⁵ forma de saxis depluentes.¹⁶

In oppido Mayrhofen adeo nobis bene erat tamque multa oblectamenta et voluptates regio Mayrhofiana praebuit, ut toto fere mense ibi consumpto sarcinas¹⁷ coligeremus¹⁷ aliquot dies ad lacum Cellensem (Zell am See) otiendo traducturi.

Cella ad lacum est natura¹⁸ loci¹⁸ amoenisima. Lacus, ad quem sita est, inter montes saltuosos porrigitur; aquas lacus coeruleo colore vibrantes a septentrionibus Alpium nives despectant.

Aquae Cellenses aestate celebrantur maxima hominum frequentia, qui ex longinquissima quoque terra confluunt. Vita hic vivitur hilaris et lauta.¹⁹ In ripa, qua lacus ambitur,²⁰ ambulatur, discurritur²¹ aut sub arboribus frondosis in sellis otiose sedetur; currus automobiles concitatissimo cursu ultro²² citroque²² ruunt. In lacu lavatur, natatur, luditur; a pueris effuse²³ ludentibus saepe in undas praecipitantibus risus et cachinni²⁴ tinnuli²⁵ eduntur;²⁶ in arena ripae viri, mulieres, pueri puellae, senes iuvenes in sole apricantur.²⁷ Lembi²⁸ remorum²⁹ valido pulsu³⁰ acti celeriter summum lacum

perlabuntur;³⁰ scaphae³¹ carbasis³¹ aptae³¹ vento leniter mulcente³² cygnorum instar lento tractu³³ moventur. Quam iuvat nos



Stillup.

curarum oblitos et somniorum³⁴ ludibrio³⁴ indulgentes³⁵ ad lacum flatibus aurae tremule crispatum³⁶ meridiari!³⁷ Quam suave est pisciculos iubare³⁸ in fluctuantibus undis

13 mintegy 14 fátyol 15 áttetsző 16 lehulló 17 felszeli a sátorfát 18 fekvésénél fogva 19 fényes 20 véggig megy 21 jönnek-mennek 22 ide-oda 23 pajzánul 24 kacagás 25 csengő 26 hallatszik 27 sütkéreznek 28 csónak 29 evező csapás 30 végig siklanak 31 vitorlás csónakok 32 fuvallatára 33 vontatottsággal 34 álomképek 35 átadva magunkat 36 fodrozott 37 déli pihenőt tart 38 fénykéve.

— Noli ire mures venatum, sed potius curre in tabernam et affer nobis florem lactis; sine eo coquere non possumus.

Feles currit in tabernam; tabernarius¹² emetitur ei florem lactis. Feles tardo gradu incedit. Ut ambulat, flos lactis nasum eius titillat.¹³ Valde enim esuriebat, quia nullum eo die murem ceperat.

— Ligurriam¹⁴ — inquit secum — paulum de flore lactis; nemo id animadvertis.

Ut paulum ligurrit, iter continuat.¹⁵ Iterum reputat secum:

— Paulum ligurriam; satis manebit canibus. Iterum paulum ligurrit; et tam diu florem lactis ligurrit, dum tandem vix aliquid remanet. Tum iam prope ad canes erat. Pudebat felem tam paulum ferre.

— Hoc iam — inquit secum — canibus dare non possum, potius comedam.

Et residuum¹⁶ quoque comedit.

Ut canes felem eminus conspexerunt, obviam ei¹⁷ currunt clamantes:

— Feles fert florem lactis!

— Non fero — ait feles. — Tabernarius non dedit.

Vertragus,¹⁸ qui barbam felis flore lactis aspersam esse viderat, ceteris canibus clamatavit:

— Feles mentitur; florem lactis comedit!

Tum canes in felem invehuntur.¹⁹ Verum feles in altam, quae astabat, arborem celeri saltu emicat²⁰ et inde canibus affremit.²¹

Canes aliquamdiu exspectant, dum feles de arbore descendat. Cum tamen viderent felem nolle ad se descendere, intrant domum et globulos sine florē lactis comedunt.

Exinde canis feli irascitur. . . Val. Fehér.

12 boltos 13 csíklandoz 14 nyalogat 15 folytat
16 maradék 17 élébe 18 agár 19 nekimegy 20 felugrik
21 rámorog.

coruscante ludibunda³⁹ lascivia⁴⁰ ex summa aqua sollerti⁴¹ pernicate⁴² emicantes velut argentea puncta relucentes ac scintillantes⁴³ intueri!

Cella ad lacum habet multa loca et digna,⁴⁴ in quae evoletur.⁴⁴ Verum maxime frequen-tatur mons Schnittenhöhe, in quem, cum inde pulcherrimus tota Austria prospectus in glaciales Alpes pateat, cotidie, si sudum⁴⁵ est, ingens turba evadit. Ascenditur autem raro pedibus, sed maxima pars evolantium curru⁴⁶ pensili e ferreo fune apto,⁴⁶ qui vi electrica cietur,⁴⁷ sublimes per aërem in summum montem trahuntur. Atque nos quoque ante-meridiano tempore coelo lucidissimo currum pensilem concendimus, quo ex mansione



Cella ad lacum.

in imo monte sita sensim sublime elato super vallem abietibus obsitam, per quam ri-vus tortuosus errans et spumans delabitur, magis magisque arduo⁴⁸ fastigio⁴⁸ vecti tandem in summo montis iugo descendimus, unde nobis mirum atque inusitatum⁴⁹ spec-taculum obiicitur. In extremitatibus⁵⁰ enim coeli⁵⁰ orbem⁵⁰ efficientibus⁵⁰ si nos ad septentriones versus obvertimus, oculis inextricabilis⁵¹ error⁵¹ montium altissimorum nivibus et glacie obductorum, quorum alteri alteros supereminent, subito offunditur.⁵² In proximo mons Grossglockner gelu et ni-vibus rigentia capita arduus in coerula⁵³ coeli⁵³ extollit. Uno fere obtutu⁵⁴ omnes Austriae nivosos vertices comprehendes, ac si in hac ingentium montium turba oculos circumferes, etiam Grossvenediger Sonn-blick, Ankogel, Dachstein aspicere licet, immo si visum longius extenderis, vallis quoque Zillerianae montes nivales in re-

cessu⁵⁵ iam iam evanescentes⁵⁶ dispicere tibi continget. Retroversum se convertentibus subito exoriuntur cautes⁵⁷ et scopuli⁵⁸ Steinernes Meer, nudi, ardui, praerupti, in acuta⁵⁹ cacumina⁵⁹ excurrentes⁵⁹ atque in solis candore micantes,⁶⁰ qui montibus Kaisergebirge continuati et coniuncti videntur. In gramine strati sole tepido perfruentes diu delectabamur his sublimibus naturae rerum miraculis, et iam advesperaverat, cum pensili curru in mansionem devecti sumus. Aeger-rime a lacu Cellensi divellebamur, sed iam appetebat domum itionis tempus. Itaque exeunte fere mense Augusto iter per vallem Anisi⁶¹ et fluvii Salzach facientes deverti-mus⁶² in oppidum Admont, cuius coeno-bium⁶³ celeberrimamque bibliothecam visere iam dudum nobis in votis erat.

³⁹ játszi ⁴⁰ pajkossággal ⁴¹ ügyes ⁴² fürgeséggel
⁴³ szíkrázó ⁴⁴ kirándulóhely ⁴⁵ tiszta idő van
⁴⁶ függő vasút ⁴⁷ vilámos erő hajtja ⁴⁸ meredek
 hajlasban ⁴⁹ szokatlan ⁵⁰ az ég peremén ⁵¹ belát-hatlatlan tőmkelege ⁵² tárol elénk ⁵³ az ég kékje
⁵⁴ egy szempillantással ⁵⁵ háttér ⁵⁶ eltünő ⁵⁷ szír-tel ⁵⁸ sziklák ⁵⁹ hegyes csúcsban végződő ⁶⁰ csillag
⁶¹ Enns ⁶² kiszálltunk ⁶³ kolostor.



Iulius Hornyánszky inter sociologos qui dicuntur celeberrimus peritissimusque rerum¹ litterarumque¹ veterum¹ anno aeta-tis 64. ultimo die superioris mensis Bud-a-pestini mortalitatem² ex-plevit² ingentis³ ad in-crementa³ gloriae³ non solum in patria, sed ubi-que gentium celebratus.³

Vir, quem lugemus Budapestini est natus anno 1869. ibidemque ab-solutis litterarum studiis peregre⁴ abiit.⁴ Cum au-ditiones⁵ in universitate litterarum Parisiana

¹ ókori irodalmi művek ² meghalt ³ igen nagy
 dicsőségre jutva ⁴ külföldre ment ⁵ előadásokat hall-gattott.



obisset,⁵ in patriam reversus primum Cibinii⁶ provincia⁷ magistri⁷ functus est,⁷ inde in urbem Kaposyár, mox Budapestinum accitur.⁸ Anno 1902. in universitate litterarum Budapestina officio pivatim⁹ docentis⁹ mandatus¹⁰ res¹¹ Graecas tradidit,¹² anno vero 1913. in universitate Claudiopolitana professoris ordinarii titulo ornatus est quartum post annum, quam sodalis academiee litterarum Hungaricae electus est.

Sed quovisunque fungebatur officio, cum persuasissimum habuisse multum in¹³ se receperisse¹³ illum, cui multa et magna essent mandata, pro virili parte locum suum¹⁴ obtinebat¹⁴ et amore antiquitatis venerandae¹⁵ flagrans¹⁶ praecipua¹⁷ cura investigabat quaestiones rerum Graecarum parum perscrutatas vel cognitas instructissimus¹⁸ cunctis etiam philosophiae doctrinis¹⁹ novisque finibus²⁰ ac rationibus²¹ scientiarum nostri temporis, quorum studia quam maxime fovebat.²²

Inter eximia eius opera, quibus famam sui egregiam in omne tempus vindicavit,²³ numerantur Eruditionis²⁴ Graecae scientia,²⁴ Hippocrates, Res¹¹ Graecae et psychologia²⁵ popularis.²⁵

Vitae eius curriculum²⁶ pensantibus²⁷ nobis succurrit²⁸ illud Aeschyli:

«τοιῷδε φωτὶ τίς ξυμβήσεται;
τίν' ἀνταρέω τῷδε; τίς φερέγγυος;»²⁹

Iustis³⁰ vixdum Ladislao Négyesy Iulioque Hornyánszky solutis³⁰ novissimo dolore perciti³¹ accepimus nuntium tristissimum: *Alexandrum Sajó* poëtam eximium sodalemque societatis Kisfaludyanae nec non academiee litterarum Hungaricae subita morte esse extinctum³² debitumque naturae reddisse.

Iam talis viri iacturā³³ exerciti³⁴ quo solatio nos consolemur? Cuius laus poëtica quanti sit a peritis³⁵ aestimata,³⁶ iam ipsi honores, quos vivus consecutus est, satis ostendunt. Nam societas litterarum Hungaricae variis eum subinde³⁷ certaminum poëticorum praemiis³⁸



auxerunt,³⁹ ut Kisfaludyana, quā mandante⁴⁰ carmina composuit sollemnia in memoriam poëtarum nostrarum⁴¹ (Michaëlis Tompa, Alexandri Petöfi, Mauriti Jókai, Emerici Madách, Ioannis Vajda, Caroli Kisfaludy etc.), comoedia vero, cui Matrimonium Georgii Zrinyi inscripsit, ab Academia litterarum Hungarica anno 1902. praemio Teleki-anō donata etiam in theatro nationis a. 1907. multis cum laudibus est edita.

Sed maxime permovemur⁴² carminibus, in quibus sortem Hungaricam iniquam infortuniumque⁴³ mutilatae⁴⁴ patriae exacerbatus,⁴⁵ iratus, interdum etiam de salute desperatus queritur. Haec carmina suavissima⁴⁶ intra et extra fines ubique a Hungaris leguntur et paene iam in medullis⁴⁷ ac visceribus⁴⁷ haerent⁴⁷ (ut Carmen Hungarorum anno 1919.,⁴⁸ Ad arma!,⁴⁹ Musica⁵⁰ etc.) et iniquitate⁵¹ temporum afflictos ac desperatos erigunt concitantque ad tuendam recuperandamque patriam.

Fuit autem tota vita vir exemplum innocentiae: integer vitae scelerisque purus atque eiusmodi ingenii,⁵² quales discipulos suos fieri semper voluit. Hisce fere verbis saepe eos hortatus est: «Enitimini⁵³ pueri, ut adulti⁵⁴ evadatis homines benevoli animo, mente liberalissimi.⁵⁵ Estote viri firmi ac stabiles,⁵⁶ sed imprimis estote Hungari!»

Faciles glebae,⁵⁷ quae corpus eius complectimini,⁵⁸ date ei quietem, quam operosa vita sua meruit!

Iuventus gymnasii Scholarum Piarum Vaciensium auctore magistro Francisco Bozi

6 Nagyszeben 7 mint tanár működött 8 meg-hív 9 magántanár 10 megbíz 11 történelem 12 előad 13 felelösséget vállal 14 helytáll 15 tiszteletre méltó 16 égye 17 kiváló 18 felszerelve 19 tudomány 20 eredmény 21 módszer 22 ápol 23 örök életüvé tette 24 a görög felvilágosodás tudománya 25 tömeglélektan 26 pálya 27 mérlegel 28 eszünkbe ötlük 29 Tali viro num quis erit comes? Quem comparem? quis inventur similis? 30 eltemet 31 meggjötörten 32 meghal 33 veszteség 34 megpróbáltatva 35 a hozzáértők 36 értékel 37 egymásután 38 pályadíj 39 kitüntet 40 megbízásából 41 hazai 42 hatnák ránk 43 szerencsétlenség 44 csonka 45 elkeseredetten 46 elragadó 47 nagy szeretettel zárták szívükbe 48 Magyar ének 1919-ben 49 Riasztó 50 Muzsikaszó 51 mostohaság 52 jellem 53 arra törekedjetek 54 ha felnőttök 55 nemes gondolkozású 56 állhatatos 57 rögök 58 át-ölél.

«Circulum Iuventutis»⁵⁹ constituit.⁶⁰ Discipuli eum finem sibi proposuerunt, ut ephemeri- dem nostram studiosissime legentes de rebus⁶¹ Romanis litterisque⁶² et antiquitatibus,⁶³ quae in schola deficiente⁶⁴ tempore tractari iam non possent, inter se colloquendo⁶⁵ agitarent⁶⁵ interpretationibusque planius explicarent. Hunc nuntium nobis perlatum dignumque sane ad imitandum libentissime evulgamus.

⁵⁹ «Iuventus-Kör» ⁶⁰ alakít ⁶¹ történelem ⁶² iro-
dalom ⁶³ régiségek ⁶⁴ hiányában ⁶⁵ megbeszél.

Oppidum sepultum. (6)

Scripsit: Győző Morvay dr.
In Latinum convertit: Valentinus Fehér.

8. FUNUS.

Vix Decius eiusque socii balneis egressi forum petebant, ut asinos ascenderent, cum invisitata ante res animum¹ Decii occupavit.²

Nam ante Fortunae templum magna circa praecones³ hominum multitudo se congregabat. Tredecim magnos latosque templi gradus atque etiam porticum vulgus plane inundaverat.⁴

Adolescentes relictis asinis ad templum properant. In alto templi podio⁵ tres praecones stabant: unus tuba canebat, alter tympanizabat.⁶ Cum iam satis magna multitudo convenerat, tuba cani et tympanizari desitum est.⁷

— Cornelius Rufus — ait aliquis — venationem⁸ in amphitheatro apparabit.

— Minime⁹ — respondet alter; — quovis pignore contendo¹⁰ nos ad ludum scenicum¹¹ a Sirico invitari.

— Ego vero — ait tertius — magnam alicubi auctionem¹² fore arbitror.

— Nihil horum — putat quartus; — certe ad funus vocamur.

Res ita fuit. Praeco enim exspectans, dum fieret silentium, magna voce clamavit:

Audite mea verba, Pompeiani homines:

Mors¹³ facta est in domo Labeonis.

Lucius enim Labeo ante octo dies

A vivis migravit ad mortuos maiores.

Quisquis est advena, notus vel amicus,

Ad tumulum sequatur feretrum¹⁴ eius.

Nunc eum efferunt e domo funesti,¹⁵

Venite, sequamini, homines Pompeiani!

Turba se movit.

— Quis effertur?¹⁶ — interrogat Decius.

— Lucius Labeo — respondet Cornelius, — duumvir civitatis. Funus erit splendidum; commodi¹⁷ est, quod hac venimus.

— Ergo rem inspiciemus — ait Decius.

— Immo prosequemur.¹⁸

Domus Lucii Labeonis adversus Pansae in via Fullonica erat.

Dum eo pervenient, magna iam domum multitudo circumdederat. Homines Pansae cedunt, ut cum comitibus in domum ingredi possit.

Ante portam ingens pinus et cupressus¹⁹ stabant, quibus luctus significabatur. Ipsa domus Pompeis omnium pulcherrima erat. In introitu figura canis, sub ea hoc inscriptum: «Cave canem.»

Sed mittamus²⁰ haec et videamus, qui mores in domo funesta²¹ fuerint.

Cum aliquis Romanorum animam²² age- ret,²² omnes propinqui aggrediebantur, ut eum consolarentur. Cum coepisset colluctatio²³ morientis,²³ pater aut mater aut soror aut frater complectebatur morientem, quasi animam eius evolantem excepturus. Is deinde oculos mortuo operiebat, ne quem forte aspiceret. Superstitiose enim putabatur ab eo quisquam eligi, qui se illuc²⁴ sequeretur.

Tum ianua cubiculi patefiebat, ut ceteri quoque propinqui ingrederentur. Praeter illos veniebant amici, familiares²⁵ vicinique visuri, num aegrotus re vera mortuus esset. Postquam eum aspexerant familiamque consolati erant, rursus discedebant.

Mortem servus apud Venerem Libitinam nuntiabat. Venus Libitina fuit faatrix²⁶ mortuorum. Post indicium²⁷ factum venit libitinarius,²⁸ eum baiuli,²⁹ praeficace,³⁰ ustores,³¹ cadaverum custodes secuti res ad funus necessarias e templo ferebant.

Pollinctores³² corpus lavatum condiebant,³³

¹ figyelem ² leköt ³ kikiáltó ⁴ eláraszt ⁵ erkély
⁶ dobol ⁷ megszünt ⁸ állatviadal ⁹ Dehogya! ¹⁰ bár-
mibe fogadok ¹¹ színi előadás ¹² árverés ¹³ halál-
eset ¹⁴ ravatal ¹⁵ gyászolók ¹⁶ temet ¹⁷ jó ¹⁸ kiki-
sér ¹⁹ ciprus ²⁰ hagyjuk ²¹ halottas ²² haldokläk
²³ haláltusa ²⁴ túlvilágba ²⁵ ismerős ²⁶ védőasszony
²⁷ bejelentés ²⁸ temetésrendező ²⁹ halottvívő ³⁰ sirató
³¹ asszonyok ³² halottégető ³³ halottmosó ³³ bebalzsamoz.



id est pollingebant, linteo involvebant, togam supersternebant, in lecto³⁴ funebris³⁴ imponebant.

Lectus funebris in atrio collocabatur. Ibi vir nobilis divesque septem diebus iacebat. Apud eum in arula odores³⁵ ardebant. Ibi custodes cadaverum vigilabant, ibi praeficace lamentabantur, eo propinqui ricinio³⁶ velati veniebant.

Funus die post mortem octavo fiebat, quod praecones compluribus oppidi locis pronuntiabant.

Ordinem dissignator³⁷ curabat; cum eo erant accensi³⁸ et lictores, ut turbas in exequiis prohiberent.

Iam aderat in domo Labeonis dissignator et designabat³⁹ exsequias, cum Decius eiusque socii advenerunt. Praeibant lictores, post lento gradu tibicines,⁴⁰ tubicines,⁴¹ cornicines.⁴² Hos praeficace secutae plorabant, crines vellebant, nenias⁴³ caneabant. Tum mimi, saltatores, gladiatores, scurrae⁴⁴ veniunt: his praeit archimimus,⁴⁵ cuius erat mortuum, praecipue motus eius imitari, ut spectantibus memoriam eius revocet. Post scurras incedunt servi, qui cereas maiorum imagines ferunt. Tum sequitur lectus eburneus: in eo iacet mortuus. Corpus eius Atalica⁴⁶ veste tectum est. Lectis a servis manu missis⁴⁷ portatur. Hi vocantur pileati,⁴⁸ quod a reliquis servis pileo⁴⁹ distinguuntur.⁵⁰ Post lectum incedunt propinqui nulla veste⁵¹ induti, alii servi manu missi, familia, amici, familiares, vicini.

His Decius et consobrini se adiungunt.

Exsequiae lente procedunt. Clangore⁵² tubarum, ploratu praeficarum homines ex angiportibus⁵³ quoque excientur.⁵⁴

Prope Herculaneam portam est ustrinum,⁵⁵ quo pileati libertini lectum ferunt. Pars cognitorum et familiarium huc quoque sequuntur. Inter cupressos stat rogus,⁵⁶ qui pinis pice⁵⁷ madefactis⁵⁸ aridisque sarmentis⁵⁹ constructus est. Mortuus in eo imponitur. Unus e cognatis aggressus oculos eius recludit, ut caeleste lumen iterum infundatur. Domestici aggressi ultimum⁶⁰ corpus osculantur. Alii tus, odores, serta,⁶¹ arma, vestes aliasque res, quas mortuus maxime in deliciis habuerat,⁶² imponunt. Iam fax ardet,

tuba canitur. Unus e cognatis arrepta face averso capite rogum incendit.

Dum corpus ardet, foris sacra Manibus fiunt. Praeficace plorant, gladiatores inter se conflictantur;⁶³ nam caerimonia postulat, ut in funere crux effluat et irati Manes placentur.

Cum rogus deflagrasset, candentes cineres vino restinguuntur. Uxor et liberi ossa colligunt, in sinu pullae vestis imponunt, lacte vinoque aspergunt. Interea reliqui Manes precantur. Tum mortui cineres et ossa odoribus respersa in urnam condunt.

Urna mormorea in conditivo⁶⁴ reponitur, cuius in scannis urnae stant cadaverum prius crematorum.⁶⁵

His perfectis cognati aqua lustrica⁶⁶ se conspergentes discedunt, cum interea haec verba dicunt: Have anima candida! Terra tibi levis sit! Ossa molliter cubent!

Altero die cena novendialis,⁶⁷ id est silecnum celebratur. In tumulo ponuntur cibi: legumina,⁶⁸ panis, mel, ova, sal. Lauatum⁶⁹ domi convivium instruitur, in quo propinqui, amici, vicini virtutes mortui memoria⁷⁰ consequuntur.⁷⁰ Plebs particeps est viscerationis.⁷¹

34 ravatal 35 fűszerek 36 gyász-fejtakaró 37 a temetés rendezője és intézője 38 hivatalszolga 39 elrendez 40 flótás 41 harsonás 42 kürtös 43 gyászének 44 bohóc 45 föszínész 46 aranyfonállal átszölt bíborruha 47 szabadon bocsátott 48 kalapos 49 kalap, a szabadság jelképe 50 különbözik 51 gyászruha 52 harsogás 53 mellékutca 54 odacsödit 55 halottégető ház 56 máglya 57 szurok 58 átitatott 59 venyige 60 utoljára 61 koszorú 62 kedvel 63 viaskodik 64 sirkolt 65 megéget 66 szent víz 67 halotti tor 68 hüvelyesek 69 fényes 70 megemlékezik 71 húsosztás.



Iocosa.

Magister alumnum inclinat:

— Qui¹ vocatur latine ökör?

Ille ex vagis cogitationibus² exterritus clamat:

— Asinus.

1 hogyan? 2 szórakozottság.

— Stulte! — increpat³ magister. — Nam ego *bovem* interrogavi.

— Ego autem *asino* respondi — dicit alumnus.

★

Subulcus,⁴ qui nunquam in templo fuerat, ubi novum amiculum agreste⁵ habuisset, in templum ire constituit.

Die Sancti Michaëlis novum amiculum accepit; quo indutus proximo die solis⁶ lento gradu ad templum iter direxit.

Sacerdos evangelium legere coepit et homines surrexerunt. Subulcus tum ipsum ingressus est.


— Considite — inquit; — quod novum amiculum habeo, non continuo⁷ mereor tantum honorem.

V. Fehér.

3 dorgál 4 kanász 5 szür 6 vasárnap 7 azért még nem.



I.



Series directae: 1. rixa, altercatio; 3. oppidum Moesiae iuxta Pontum Euxinum, ubi Ovidius mortuus est; 5. populus Germaniae; 8. discedam, decedam; 9. cuius vapore dei placantur; 11. adverbium: raro, rarenter; 13. somnus;

14. qui odit (in dativo); 16. Nepal; 17. in sacros focos dantur; 22. viribus firmi et valentes; 23. v. 11. dir.; 24. pronomen interrogativum (in acc.); 25. cibus; 26. signum; 27. pron. refl.

Series libratae: 1. munificentia; 2. homines desidiosi; 3. adverbium, alio vocabulo: impune; 4. cognomen Vergilii; 6. reboare, mugire pers. 2.; 7. semita, trames; 10. avis; 12. vigor corporis; 13. coniunctio condicionalis; 15. adverbium; 17. cibus; 18. mulier annosa; 20. quo piscatores pisces fallunt et praedantur; 21. orbis, orbita.

II.

Singuli numeri in litteras sunt transmutandi; itaque describenda est series numerorum 1—34, singulis autem numeris subscribendae sunt notae litterarum, quas vocabulis, quae sequuntur rite solutis reperies. Litterae in vocabula collectae proverbium reddunt.

1, 12, 10, 11, 3 = urbs Africae, quae capta Carthagine caput provinciae Africae facta est; 6, 7, 2, 3 = Phoebi soror astrorumque decus; 16, 9, 5 = fructus vitis est; 8, 19, 17, 25, 20, 10, 14 = insula notissima in sinu Saronico; 29, 15, 11, 31, 28, 34, 3, 24, 32, 13, 1, 21 = rex Romanus; 11, 26, 29, 4, 8, 16, 21 = triumvir; 22, 27, 30, 18, 33, 2, 23 = oppidum Achaicum; 4, 23, 26, 19, 22, 13, 28 = nomen dei, quem dediti superstitionibus Aegyptii ante alios colebant.

=====

Solutiones aenigmatum numeri V.

I. (Ad saltum equulei): «Rebus angustis animosus atque | Fortis appare: sapienter idem | Contrahes vento nimium secundo | Turgida vela.» — II. Pater, rego, operio, mus, emo, tam, hora, emoveo, uncus, serenus. Nomen Titani: Prometheus. — III. Sol, vas, nam, tot, sus. Nomen insulae: Samos.

Aenigmata recte dissolverunt: Magdalena Fajcsek, Mathias Gombos, Helena Kaluza, Rud. Kancz, Marianna Renner, Georgia Szilvássy. Praemium Mariannae Renner sorte obvenit.

Dum hic nostri Commentarii numerus litterarum formis exscriptus sub praelo est, funestissimum accipimus nuntium:

Albertus e comitibus Apponyi vitam longam et operosissimam Genavae placide intra paucos dies conclusit.

De viro, cuius merita in patriam nostram maxima fuerunt, in proximo numero dicemus.

=====

Moderator ephemericis EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22., ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermediolarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyeület költségén.
(Praeses: JOANNES KISPARTI DR., elnök.)